

Regem; sed longe ab aliis, aliter Regem se esse dixit, dum ait: *Regnum meum non est de hoc mundo*. Ne timeant ergo; non illis auferet regnum mundi huius, sed dabit eis insuper regnum coelorum, ubi ipse Rex est in saecula saeculorum.

614 *Et ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer.* Notanda hic iniquorum nequissima et impia doctrina. Sciatis, Fratres, multos disputare et dicere, quia Deus res humanas non curat, quia casibus reguntur omnia, vel quia stellis subiectae sunt voluntates nostrae, quia unusquisque non pro meritis agit, sed sub necessitate stellarum. Doctrina mala, doctrina impia. Nonne Jacob et fratrem Esau, uno tempore eodemque momento mater fudit, neque una tamen utriusque vitae ac conditionis qualitas extitit? Et quamquam ad hoc respondeant mathematici, virtutem constellationis in ictu puncti esse: e diverso iis dico ego, quia magna est mora nativitatis; adcoque, si in ictu puncti constellatio permutatur, necesse iam fore, ut tot dicant fata, quot sunt membra nascentium. Fatentur etiam mathematici, quod quicumque signo nascitur Aquarii, in hac vita piscatoris ministerium sortiatur. Piscatores vero, ut fertur, Getulia non habet. Quis ergo dicat, quia nemo illic in stella Aquarii nascitur, ubi piscator omnino non habetur? Rursum, quos nasci signo Librae asserunt, trapezitas futuros dicunt: et trapezitas, multarum gentium provinciae ignorant. Fateamur ergo necesse est, aut hoc in eis signum deesse, aut effectum fatalem nullo modo habere. In Hispanorum quoque Persarumque terra Reges ex genere prodeunt; quibus profecto nascentibus, quis nesciat, quanti eisdem momentis horarum ac temporum

ex servili conditione nascuntur? Et tamen Regum filii, uno eodemque sidere cum servis nati ad regnum proficiunt; cum servi qui secum fuerant geniti, in servitute moriantur. Iterum; si stellae est, quod aut boni sumus aut mali, ergo nec bonum nostrum laudandum est, nec malum vituperandum, quia nec est in nobis voluntarius actus. Ut quid enim boni mei laudem merear, quod non meo arbitrio, sed motu stellae facio? aut mali mei poenam suscipiam, quod non voluntate, sed necessitate commisi? nam non possum fugere malum, etiamsi volo, si me nativitatis meae stella compellit ad malum. Si adulter et homicida fiunt per stellam, et in crimine facit eos stella interfici, magna est iniquitas illarum stellarum: magis autem illius, qui stellas ad hoc creavit. Interrogamus: Nonne homo factus a Deo? Ergo iniquus est qui fecit eum: nam cum sit praescius futurorum Deus, quod tanta iniquitas futura erat per stellas; si noluit emendare, non est bonus; si autem voluit, et non potuit, impotens est: sed etiam iniustus est; quia ex necessitate stellarum peccantes ita punit, quasi ex voluntate peccantes. Ipsa denique mandata Dei ne peccent, aut hortamenta ut faciant bonum, per hanc insipientiam nonne destruantur? Quis enim hortetur aliquem, ne faciat malum, quod non potest declinare: aut ut faciat bonum, ad quod non potest pervenire? Haec de stella late deduximus, ne aliquorum et praecipue mathematicorum stultitiam indiscussam praeterire videamur.

615 *Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius, et proidentes adoraverunt eum: et aperitis thesauris suis obtulerunt ei aurum, thus, et myrrham.* A regia ergo civitate, ubi Regem quaerendum conie-

ctabant ductrice stella; gaudentes ad Bethlehem villam parvulam diriguntur. Et ingressi stabulum inveniunt panis involutum infantulum: stupent, haerent, tremor apprehendit eos. Psalmus: *Quoniam ecce Reges terrae congregati sunt, convenerunt in unum. Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.* Nec tamen illis sordet stabulum, non offenduntur praescipio, non scandalizantur lactentis infantia. Sed statim prociidunt, venerantur ut Regem, adorant ut Deum, offerentes ei de thesauris suis aurum, thus, et myrrham. Sed, quid facitis, o Magi! Quid facitis? Lactentem puerum adoratis in tugurio villi, in vilibus panis? Ergone Deus iste est? *Dominus in Templo sancto suo, Dominus in coelo sedes eius.* Et vos eum quaeritis in vili stabulo in Matris gremio? Quid facitis, quod et aurum offertis? Ergo Rex est ipse? Ubi aula regia, ubi thronus, ubi sella regalis, ubi regiae curiae caetera? Numquid aula est stabulum; thronus praescipium: curiae frequentia bos et asinus, Maria et Ioseph? Quomodo ita insipientes facti estis vos Viri sapientes, ut adoretis parvulum despiciibilem, tam sua aetate, quam paupertate suorum? O Magi, quid videtis in Matre, quid videtis in Filio? S. P. Augustinus: Magnus latebat in parvo; leo in agno; gigas in parvulo; Deus in corpusculo; hoc terrebat eos. Oblatis interim mysticis donis quae flexis genibus obtulerant, surgunt a prostratione, accipiunt in ulnas puerum, magnificent Matrem, proponunt vel ibi manere, vel orant, ut eos comitetur, ipsi futuri vassalli, et Reginae in servitium. Sed monitu Angelico, revertuntur in terram suam: *Responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*

616 *Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Imo quid non retribuam? Praebe, fili mi, cor tuum mihi.* Tuum est Domine, accipe illud; non expectes oblationem, tolle tibi, nam iure illud totum possides. In Canticis: *Vox dilecti mei pulsantis; Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Aperi mihi? Cur necesse est aperire me? Ingredere, Domine, ingredere. *Tuus sum ego; et voluntarie sacrificabo tibi, et confitebor nomini tuo, Domine: quoniam bonum est. Apertis thesauris suis obtulerunt Domino.* Pondera thesauris suis, non alienis. Non offerat quis sacrificium de rapina, non diripiat pauperes, ut offerat calicem. Filio suo Tobias: *Ex substantia, inquit, tua, fac elemosynam.* Fac ergo elemosynam de substantia, de bonis, de redditibus tuis, non alienis. Sed nec ista bona temporalia nostra sunt: *Cum dives factus fuerit homo, et cum multiplicata fuerit domus eius: cum interierit, non sumet omnia.* Sumet vero sua; et quae sua? Ecclesiasticus: *Cum, inquit, morietur homo, haereditabit serpentes, et bestias, et vermes.* Iob: *Iste, ait, morietur robustus et sanus, dives et felix. Viscera eius plena sunt adipi; et medullis ossa illius irrigantur. Alius vero morietur in amaritudine animae absque ulla opibus.* Et tamen, inquit, simul in pulvere dormient, et vermes operient eos. Ecce hominis haereditatem! *Apertis ergo thesauris suis, non aliorum obtulerunt, quia de suis et de seipso facienda est oblatio. In me sunt, Deus, vota tua, quae reddam. In me:* non in grege meo, non in arca mea, sed in meo pectore; hoc archivum meum est. Sed dices: non sum dives, non habeo tam pretiosum metallum in corde meo. *Argentum et aurum non est mihi; bene: quidquid ergo habes, hoc illi da. Non habes aurum; offer illi incensum spiritus, aliam spe-*

ciem minus pretiosam; offer illi myrrham spiritum communem modici pretii. Ioseph non invenit in sacco, nisi quod ipse posuerat: non a te petit Dominus, nisi quod in te posuit. *Hilarem datorem diligit Deus.* Audi momentem te in filio suo Tobiam: *Quomodo potueris ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Quamvis pauper sis, novit Deus paupertatem tuam. Non erit ingratus, si vel modicum ipsi offeras, quod habes; nam modica farinula oblata est Prophetæ a muliere, et tamen præmiata est.

617 In archivo cordis triplex est thesaurus: spiritus, intellectus, et sensus: de primo; aurum amoris. Psalmus: *Vivet, et dabitur ei de auro puro Arabiæ.* Beatus tu, Domine, qui tale aurum mortalibus contulisti. Nam de mensa Domini micæ cadentes satiant: et de torrente voluptatis stillicidia inebriant viatoris animum. Illis tamen qui ad hanc devotionis gratiam perveniunt, unum videntur restare periculum, et omnino timendum est a *daemonio meridiano.* *Ipsæ enim Satanas transfiguratur se in Angelum lucis.* Hoc ergo timendum ei, qui magna delectatione omnia facit, ne dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem, ac deinde necesse habeat non sine magno spiritualis exercitii detrimento, circa debilitati corporis curam occupari. Ergo illuminari necesse est lumine discretionis, quæ mater virtutum est, et consummatio perfectionis: hæc nimirum docet: *Ne quid nimis.* Nec de eo qui sic conversatur, dubitem dicere, quod suam ipsius salutem operetur. Quod si non es contemplator, esto speculator et laudator; de thesauro intellectus offer simplicem orationem; incensum Domino. Psalmus: *Dirigatur, Domine, oratio mea,*

sicut incensum in conspectu tuo gratum sacrificium. Psalmus: *Sacrificium laudis honorificabit me, et illic iter et via, quæ devenitur ad contemplationem, et ostenditur Salutare Dei.* Unde Psalmista cum dixisset: *Dabitur ei de auro Arabiæ; et adorabunt, inquit, de ipso semper, tota die benedicent ei.* Sed quomodo adorabunt de ipso semper? Quomodo tota die benedicent ei? Numquid ergo et semper, et tota die orandum? Non est impossibile continue orare, ut credunt aliqui: nam semper orat, qui semper amat: et cui crescit desiderium, semper benedicit ei. Hoc aurum omnia facit pretiosa. Si dederit homo cunctam substantiam suam, et quacunque possidet: si hoc non dat, nihil dat. Omne donum, *omnis aestimatio, siclo sanctuarii ponderabitur,* id est, charitate: non enim quantum, sed ex quanto. Dices: Non sum tantum, non contemplator, sed neque devotus sum; peccator sum, iniquus sum. Equidem non excusabis te ab oblatione. Offer ergo de thesauro sensus, myrrham probatissimam pro peccato, cordis compunctionem, dolorem et amaritudinem. Offer hircum, boves, tauros, brutales motus iugula: *Abominations Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis.* Idem quod aurum, thus, myrrham. Sunt aliqui, qui prius aurum offerre volunt quam myrrham. Abundantes peccatis, myrrham probatissimam offerre poterunt: alias, dum credunt se offerre aurum, offerunt aurichalcum. Melius est offerre veram myrrham, quam falsum aurum. Peccator es, adhuc peccata pungunt? noli despiciere offerre myrrham, et quaerere aurum. Non enim invenies eum, priusquam myrrham obtuleris: et postea incensum, et postea aurum offeres. Hic ordo rectus est. Of-

fero tibi, Domine, quidquid sum, quidquid possum, quidquid scio. Interiora et exteriora, potentias, sensus, cor, animam, spiritum, corpus meum, totum quod sum. Mitte ergo de coelo ignem, qui adurat holocaustum, et faciat gratum in odorem. Nam vere, nisi Dilectus meus mittat manum suam per foramen, et venter meus et cor meum contremat ad tactum eius; neque surgam, neque aperiam Dilecto meo; neque manus meae distillabunt hanc myrrham, neque digiti mei pleni erunt myrrha hac probatissima. Potest et aliter intelligi oblatio. Per aurum namque intelligi possunt bona fortunæ, scilicet, divitiæ. Per thus, bona animæ, scilicet, oratio, fides, charitas. Per myrrham, bona naturæ, scilicet, bona corporalia, corporis mortificatio, et virtutes morales.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.
(DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, N. 6).

VI.

618 **N**os hic de stella loqui est animus, cum plurima de ea congesserimus in lib. 4 de Canonizatione, par. 1, cap. 25, ubi scripsimus, extare de hac stella prophetiam in lib. Numer.: *Orietur stella ex Jacob, et coarsuet virga ex Israel:* varias esse de illius sideris natura sententias; quosdam quidem tradidisse, novum illud fuisse in Coelo creatum astrum; alios putasse, Angelum lucido quodam corpore stellæ instar assumpto Magis viam præmonstrasse; nonnullos etiam censuisse, nil aliud fuisse quam flammæ quoddam in media æreis regione phaenomenon, ut apud Calmet, *Dissert. in Magos qui Iesum adoraturi venerunt:* et Ioannem Federicum Miegium, *Dissert. de stella a Magis conspecta* in Thesaurio Dissertationum in Novum Testamentum, quæ e Museo Theodori Hæsci, et Conradi Ikenii depremtæ sunt, tom. 2, pag. 148, et sequent., eam tandem esse verisimilior sententiam, sidus illud meteoron fuisse clarissima luce coruscans, quod Angelus in astri figuram formaverat, quodque suspensum in media æreis regione ab Oriente ad Occidentem movebat, ut monstraret Magis iter, haud aliter quam quod de columna nubis narratur, qua Iudæi deducti sunt

per desertum; seu etiam astrum fuisse tum primum creatum, non illud quidem in Coelo, sed in aere non longe a terra, quod nutu Dei moveretur; idque expresse docet S. Thomas, 3 par., quaest. 36, art. 7. Sapienter monet Lamy, *Harmon. Evang.*, lib. 1, cap. 11, quiddam id esse ex his, quæ inani labore viri docti persequuntur. *Neque enim hæc questionibus vacat immorari, de quibus postquam multa dixeris, hæc cogaris fateri incerta. Quærenda sunt, ut interdum moneo, quorum investigatio utilis est, aut saltem possibilis;* atque, nihil quidquam aliud exploratum nobis esse, quam insolitum quendam fulgorem eorum in se oculos convertisse, qui sideribus contemplandis operam dabant, eorumque animos monuisse de magna re aliqui, inusitata, nova, inaudita cogitanda, quæ tum temporis accidisset. Nunc igitur de numero Magorum, de eorum nominibus, qui illi, qualesque fuerint, ubi infantem Iesum repererint, et quo cum culta adoraverint, verba faciunt; nam unde profecti, et quando Bethlehem pervenerint, commodiore loco infra disputabimus.

DIE V. INFRA OCT. EPIPHANIAE

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.
COMMENT. IN MATTH., LIB. I, CAP. 2.

619 **V**IDIMUS enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum. *Audiens autem Herodes rex, barbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabat ab eis ubi Christus nasceretur.* Ad confusionem Iudæorum, ut nativitatem Christi a gentibus discerent, oritur in Oriente stella, quam futuram Balaam, cuius successores erant, vaticinio noverat. Lege Numerum librum (cap. xxiv). Deferuntur autem magi stellæ indicio in Iudæam, ut sacerdotibus a magis interrogati, ubi Christus nasceretur, inexcusabiles fierent de adventu eius.

620 *At illi dixerunt ei: in Bethlehem Iudææ.* *Sic enim scriptum est per prophetam: Et tu, Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiit dux, qui regat populum meum Israel.*

Librarium hic error est. Putamus enim ab Evangelista primum editum, sicut in ipso Hebraico legimus, *Iudae*, non *Iudaea*. Quae est enim aliarum gentium Bethlehem, ut ad distinctionem eius hic *Iudaea* poneretur? Iudae autem idcirco scribitur, quia est et alia Bethlehem in Galilaea. Lege librum Iesu filii Nave (Ios. XIX, 15). Denique et in ipso testimonio, quod de Michaeae propheta sumptum est, ita habetur: *Et tu, Bethlehem terra Iuda* (Mich. V, 2).

621 *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Pulcherrime munera sacramenta Iuvenis presbyter unum versiculo comprehendit: Thus, aurum, myrrham, regique, hominique, Deoque Dona ferunt.

622 *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam, etc.* Qui munera obtulerant Domino, consequenter responsum accipiunt. Responsum autem (quod Graece dicitur *ὑποπαρισχόντες*) non per angelum fit, sed per ipsum Dominum, ut meritum Ioseph privilegium demonstraretur. Revertuntur autem per aliam viam, quia infidelitati miscendi non erant et Iudaeorum.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.
[DE FESTIS DOM., LIB. I, CAP. 2, §. 7.]

VII.

623 **T**RES fuisse Magos, etsi S. Mattheus de eorum sileat numero, qui tantummodo ait: *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam*, expresse tradit S. Leo, Serm. 30 in Epiphania, cap. 1: *Tribus igitur Magis in regione Orientis Stella novae claritatis apparuit*; et cap. 2: *Sequuntur tres viri superius Numinis ductum*; quod confirmat serm. 32 de Epiphania, cap. 5: *Tres Magos... Stella perduxit*; idque pluribus aliis in locis, ut Serm. 33, cap. 2; Serm. 34, cap. 1 et 2; Serm. 35, cap. 1; Serm. 36, cap. 2, et Serm. 37, qui sermones omnes in Epiphania Domini habiti sunt, idem tradit S. Caesarius, Serm. 139. Hanc esse communem omnium hoc ten-

porc, veramque sententiam testatur Calnet: *Communis atque unica nostra aetate ferme in Ecclesia recepta sententia parva docet*; cui tamen opinioni adversatur Auctor imperfecti Operis, in Mattheum homil. 2, ex quibusdam apocryphis monumentis Magorum numerum duodenarium fuisse affirmans. Quia vero non omnibus communis opinio ardet, ac fere semper aliquis, qui receptae sententiae haud timide adversetur, non desuit hac aetate, qui cum proorsus nemo inter veteres Patres, S. Leone excepto locis citatis, tres fuisse Magos tradiderit, eorum propterea numerum definiti posse negaverit. Atque is est P. Serry, Exercit. 24, num. 4; nam Daniel Rhoden haereticum hominem nihil moramur, qui idem negat, *Dissertatione de primis Salvatoris Veneratoribus Magis*, in Thesaurio Dissertationum in novum Testamentum, Amstelodami anno 1702 edito, tom. 2, pag. 70, §. 5. Verum deferenda nullo modo est sententia S. Leonis auctoritati innoxia, quae suffraganeam etiam habet S. Maximum Taurinensem Episcopum in una ex eius Homiliis: *Beati, charissimi, in uno itinere tres simul adoratori veniunt Magi, quia in uno Christo Iesu, qui omnium credentium via est, inseparata ab eis erat Trinitas adoranda*: quam praeterea tuctur Ecclesiae traditio, et summo consensu in Scriptores amplexi sunt, qui non temere, sed consilio, matureque examine, ei subscripserunt. De hac sententia in hunc modum loquitur Natalis Alexand. *Hist. Eccl. pr. Saeculi*, cap. 1, art. 4, num. 3: *Plures fuisse Magos, qui Christum adoraverunt certum est: tres fuisse, vulgaris opinio S. Leonis, et Auctoris Sermonum, qui Eusebio Nysseno tribuntur, suffragis confirmat*. Suspiciatur Tillemontius, Not. 12 in vit. Iesu Chr., ex tribus muneribus auri, thuris et myrrhae, quae Christo Domino Magi obtulerunt, hanc de tribus Magis excitam esse sententiam, quam filicri tamen fatetur S. Leonis Sermonibus, imitique etiam Sermoni Eusebii, sermonique qui Caesario tribuitur. Baronius ad ann. 1 Chr., num. 30, ita ait: *Fidelium fide traditio tenet, eosdem tres numero fuisse secundum tria munera genera, quod et S. Leo in suis Sermonibus saepe tradit*. Maldonatus in cap. 2 Matth.: *Illud, inquit, certum est plures fuisse, cum Evangelista numero semper multitudinis Magos appellat, et probabile est plures fuisse duobus quia non duali, ut vocant, sed plurali usus est numero*. Fuisse tamen tres, etsi non certo, tamen probabiliter coniectura ex donorum numero colligitur: *credibilis enim est, diversa, quam eadem omnia munera dedisse, quod id magis usitatum, et gratius accipientibus, honorificentius dantibus esse solet*. Certe haec opinio aliqua, aliae nulla ratione probari possunt. Ceterique omnes docent, hanc esse de numero Magorum sententiam, quam omnino se-

qui debeamus. Videantur P. Graveson, de Myster. et ann. Christi dissert. 8, pag. 172; Honoratus a S. Maria, tom. 2 de Regulis et usu Criticis, lib. 3, dissert. 4, art. 2, pag. 272; Cardinalis Gottus, Tract. de verit. Relig. Christi, tom. 4, par. 1, cap. 2, §. 3, num. 19; P. Ayala, in Opere cui titulus, *Pictor Christianus*, lib. 3, cap. 3, n. 4; Sandius, *Histor. Sacrae Famil. de Christo Domino*, cap. 3; Suarez in 3 par. D. Thomae, tom. 2, disp. 14, sect. 2, qui hanc esse ait communem veterum Patrum opinionem, et Ecclesiae sensum, quod confirmat Theoph. Raynaudus, tom. 7, in Opere cui titulus *Diploca Mariana*, num. 16. Huc accedit, quod S. Leonis aetatem praecessit Ecclesiae opinio de ternario numero Magorum. Nam in veteribus Romae Coemeteriis, unde erutae fuerunt imagines tum depictae, tum sculptae, et Romae editae ann. 1737, ea etiam imago inventa est, quae tom. 1, Tabula 22 impressa exhibitor: ad quam tabulam haec observatio apponitur: *Magorum deinde expressa appareat adoratio. Ubi illud potissimum observandum, tres fuisse Magos ex veteri Ecclesiae Latinae Traditione, et iuxta S. Leonis sententiam, qui primis Magorum numerum statuisse creditur; sed multo antea constantem in Ecclesia fuisse hanc opinionem; ex eo manifeste colligitur, quod plures ex his depictis sculptisque imaginibus Leonis aetate observaveris vetustiores*.

DIE VI. INFRA OCT. EPIPHANIAE

Homilia S. Petri Damiani.

IN FESTIS DOM., SERMO I.

624 **C**UM natus esset Iesus in Bethlehem Iudae in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: *Ubi est, qui natus est Rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus cum muneribus adorare eum. Laudate Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi*. Nam cum omnipotens sermo nondum a regalibus sedibus descendisset, et nox in suo cursu medium iter ageret, populus gentium ambulabat in tenebris: quia *dilexerunt magis tenebras, quam lucem*, variosque secuti errores, in circuitu impij ambulabant, euntes unusquisque alius ad villam, alius ad negotiationem suam; et obscuratum est in-

sipiens cor eorum, quia incurvatus est unusquisque ad opus manuum suarum. Patres etiam illi antiqui omnes sub nube fuerunt, eo quod aspiciabant in visu noctis, nec claritatem vultus Moysi poterant intueri: quia velamen erat positum super cor eorum, et erat aqua tenebrosa in nubibus acris; cum videlicet filii Sion inclyti conversi sunt in vasa testea, opus manuum figuli; dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum; argentum eorum versum est in scoriis, eo quod caupones eorum miscebant aquam vino; quando obscuratum est aurum, mutatus est color optimus; nec erat de eis, qui faceret bonum, nec etiam usque ad unum. Tunc ergo tenebrae factae sunt super universam terram, quia Iudaeus et Gentilis in tenebris straverunt lectum suum, habitantes in tenebris, et umbra mortis. Quia igitur tunc nox praecessit, ecce dies appropinquavit: et lumen refulsit in habitaculo carceris nostri, ex eo quod exortum est in tenebris lumen rectis corde, cum visitavit nos oriens ex alto; et ortus est nobis lucifer matutinus, qui non novit occasum; quando lux illa vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, in tenebris luxit, et tenebrae eam non comprehenderunt.

625 Iudaei itaque et Gentiles in tenebris erant usque ad tempus plenitudinis. At ubi venit plenitudo temporis, emisit Agnum Dominum dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae Sion; et lapidem, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Et quia ad hoc venerat, ut oves dispersas congregaret in unum, licet non fuerit primo missus, nisi ad oves, quae perierant domus Israel: quia tamen alias oves habebat, quae non erant ex hoc ovili, et illas oportebat eum adducere, ut fieret unum ovile, et unus pastor;

idcirco habitantibus in regione umbrae mortis tam Iudaicis, quam Gentibus lux orta est eis utrisque: propter quod et in Nativitate claritas Dei circumfulsit pastores, quia Angelus evangelizavit eis gaudium magnum; et hodierna die stellae claritas natum denuntiat Salvatorem Iudaicis itaque tamquam ratione utentibus loquitur vox Angelorum; Gentibus vero quasi brutis, et iumentis in campis silvae loquitur lingua, sive stella coelorum. Lux nostra itaque demonstrat lucem, creatura suum indicat Creatorem, suum loquitur factura Factorem, et nova stella denuntiat verum Solem. *Laudate ergo Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi. Laetantini gentes simul cum plebe eius.* Gaudeant Gentiles, exsultent Iudaei, quia ecce Sol de stella enituit, et Factor Virginis factus est in Virgine factura sua. Homo enim, qui factus est in ea, ipse fundavit eam Altissimus. Ortus est itaque Sol de stella, sanitas ex aegritudine, ex morticino vita, lux ex tenebris, dulcedo ex amaritudine, ex spina rosa, pater ex filia, dominus ex ancilla, et de exiguo rivulo fons aquae salientis in vitam aeternam. Oritur ergo Sol de stella, et demonstratur Sol per stellam.

606 Erat stella in aere, stella in terra, Sol in praesepio. Stella in aere, corpus illud lucidum; stella in terra Virgo Maria; Sol in praesepio, Christus noster. Stella in aere, de qua habuimus in Evangelio: *Vidimus enim stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.* Stella in terra, de qua Balaam praedixit in Prophetia sua: *Orietur stella ex Iacob, et confringet omnes alienigenas.* Sol in praesepio, de quo reprobi, secundum quod in libro Sapientiae legitur, dicturi sunt in futuro: *Erravimus a via veritatis, et Sol iustitiae non illuxit nobis.* De quo Apostolus: *Sol non occidit super*

iracundiam vestram. An non ipse est, qui in Sole posuit tabernaculum suae carnis, quando fuit tamquam sponsus procedens de thalamo suo?

In stella, fratres, quatuor principaliter attenduntur. Stella enim igneae naturae est, stella in se lucida est et clara, stella ex se radium emittit, stella in nocte lucet. Haec eadem in stella nostra, id est, in Virgine Maria, possumus invenire. Stellam, ut diximus, igneae naturae est; et ipsa Virgo Maria igneae naturae fuit. Ipsa est enim rubus ille igneus, in quo apparuit Dominus Moysi, qui videbatur quippe ardere, sed non comburebatur: quia graviora quidem apparuit Virgo, sed igne libidinis non est consumpta. Ipsa in se splendida est et clara, adeo ut de ea scriptum sit in Canticis Canticorum: *Quae est ista, quae progreditur sicut aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol?* Ipsa ex se radium illum emittit, qui penetrat usque ad cordis secreta. Scrutatur enim corda, et renes; eo quod vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animae, et spiritus; unde et merito congruit ei nominis interpretatio. Maria namque stella maris interpretatur. Mare hic mundus est, sicut scriptum est: *Hoc mare magnum, et spatiosum, illic reptilia quorum non est numerus.* Merito ergo stella maris dicitur, quia ipsa tamquam sidus singulare refulsit in mundo: et cuius splendor illuminat mundum, et ex se radium illum emittit, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et sicut radius processit a stella, stella integra permanente; sic Filius ex Virgine, virginitate inviolabili perdurante, secundum quod et Propheta Ezechiel inquit: *Porta, quam vides, semper erit clausa, et nullus transibit per eam,*

sed Dominus solus introibit per eam. Stella lucet in nocte, et ipsa Virgo in nocte huius saeculi singulariter fulsit, secundum quod de ea scriptum est: *Quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.* Talis est stella nostra, fratres, talis est Virgo Maria, talis est stella maris: et quia reliquit nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius, talis etiam debet esse anima nostra.

628 Simus ergo, fratres, igneae naturae, ut sit in nobis ille ignis, quem venit Dominus mittere in terram: et ignis ille, qui erat flamigerans in ossibus Ieremiae, accendatur in conflatorio cordis nostri, iuxta quem sedet Dominus purgans, et mundans filios Levi. Simus etiam et nos clari, et fulgidi, ut aspiret nobis dies, et inclinentur umbrae: *Et deponentes veterem hominem cum acibus suis, induamur novum, qui secundum Deum creatus est;* ut si fuimus aliquando tenebrae, nunc simus lux in Domino: et induti armis lucis, ambulemus honeste, sicut decet ambulare in die. Emittamus etiam ex nobis, fratres, radium bonae operationis, quia scriptum est: *Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris.* Lucernas quippe ardentes in manibus portamus, cum proximis nostris per exempla bonae operationis lucemus; ut cortina cortinae trahat; et qui audit, dicat, veni; et sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videntes opera vestra bona glorificent Patrem, qui in caelis est, et currant multi in odorem unguentorum nostrorum.

629 Stella lucet etiam in nocte, et nos fratres, in nocte huius saeculi luceamus, secundum quod scriptum est: *Inter quos lucetis, quasi luminaria fixa in firmamento.* Contra haereticorum tenebras sapientiae lumine splendeamus, quia scriptum est: *Capite nobis vulpeculas, quae demoluntur*

vineam Domini. Propter quod Dominus inquit: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* Sic ergo, fratres, ad verum solem poterimus pervenire, si Virginis, et stellae nostrae vestigia fuerimus imitati.

In sole autem quinque principaliter attenduntur. Sol incommutabilis est in se, cum luna singulis mensibus commutetur. In sole est nulla macula, cum semper macula sit in luna. Sol habet plenitudinem luminis, a quo et alia luminaria lumen accipiunt. Sol licet sit immutabilis, interdum tamen patitur eclipsem. Sol semper lucet in die. Sed eadem in vero sole nostro sollicite investigemus. Sol in se incommutabilis est; et ipse Christus secundum divinitatis potentiam semper incommutabilis perseverat. Unde ipse ait: *Ego sum Deus, et non mulor.* *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* In sole nulla est macula; et ipse est, qui singulariter ingressus est mundum sine macula; *qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius.* Sol habet plenitudinem luminis; et in eo habitavit plenitudo divinitatis corporaliter, cui non est datus Spiritus ad mensuram, immo de plenitudine eius accepimus omnes gratiam pro gratia, quando unguentum a capite descendit usque ad barbam, et a barba stillavit in oram vestimenti. Sol interdum patitur eclipsem; et ipse Christus eclipsem mortis passus est in passione, quando recessit pastor ovium, ponens animam pro ovibus suis, et *inclinato capite emisit spiritum.* Sol semper lucet in die; et ipse Dominus, postquam resurgendo consumpsit tenebras nostrae mortalitatis, *resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Sed lucem habitat inaccessibilem, et in eo tenebrae non sunt ullae. Hunc solus aquila

Ioannes irreverberatis luminibus intuitus est in rota sua, quando adeo alte volavit, quod si paulo altius intonusset, totus mundus eum capere non potuisset, inquit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.*

631 Magi ergo illuminati a Sole veniunt ad Solem, qui illustrati per stellam, quae lumen suum habet a Sole, venerunt ad adorandum Solem; quorum gesta diligenter singula attendamus. Venerunt ergo ab Oriente Ierosolymam, et cum venissent, inquisiverunt: *Ubi est, qui natus est Rex Iudaeorum?* Cum pervenissent ad locum, prociderunt; cum procidissent, adoraverunt; cum adorassent, munera obtulerunt. Venerunt ergo infatigabili labore, inquisiverunt provida sollicitudine, prociderunt debita humillatione, adoraverunt mentis devotione, munera obtulerunt integra fidei religione; et obtulerunt ei aurum, thus et myrrham. Ecce primitiae gentium, primo puram, et integram fidem offerunt. Obtulerunt enim thus Deo, mirrham mortali, aurum Regi. Thus per fidem divinitatis, myrrham per fidem humanitatis, sive mortalitatis, aurum per fidem regiae dignitatis. Fuit enim Deus, et homo, Emmanuel nobiscum Deus, cum factus est simul in unum dives, et pauper; fuitque ex regia tribu, secundum quod in eius genealogia describitur: *Liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham, etc.*

632 Vel obtulerunt haec tria humanitati Christi, aurum Regi, sacerdoti thus, mirrham mortali. Fuit enim ex regia, et sacerdotali tribu. Fuit Rex, quia habuit in vestimento, et in femore suo scriptum: *Rex regum, et Dominus dominantium.* Fuit et Sacerdos secundum ordinem Melchisedech Regis Salem, qui sacerdos fuit Dei summi, quia non per

sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. *Conversi enim sumus ad Pastorem, et Episcopum animarum nostrarum.* Fuit etiam mortalis, quia *vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit* in corpore suo super lignum.

Haec eadem ipsa Virgo stella maris obtulit Soli nato suo in persona sua. Obtulit enim aurum regiae dignitatis, quia fuit ipsa de regia tribu, secundum quod in dicta genealogia legitur: *Iacob genuit Ioseph virum Mariae, de qua natus est Iesus qui vocatur Christus.* Obtulit etiam thus, et myrrham; unde in Cantico amoris haec duo in ipsa iunguntur, ubi dicitur: *Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus mirrae, et thuris, universi pulveris pigmentarii?* Myrrha ardet vermes a corporibus mortuorum, et ipsa corpora conservat a corruptione, propter quod Nicodemus attulit mixturam myrrhae, et aloes, ut condiret corpus Iesu. Per myrrham ergo carnis integritas designatur, thus vero mentis exprimit devotionem. Bene ergo haec duae species in stella, et virga nostra iunguntur; quia in Virgine Maria carnis integritas, et mentis devotio semper indivisa manserunt. Et merito additur, *universi pulveris pigmentarii*; quia ipsa adeo fuit donis Spiritus sancti referta, ut audire meruerit: *Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.* Sic ergo, fratres, obtulerunt Magi, obtulit et Virgo Maria stella nostra. Et quia exempla dederunt nobis, ergo et nos ita faciamus.

Venerunt Magi, veniamus et nos, quia scriptum est: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.* Et alibi: *Venite ad me, qui*

concupiscitis me. Inquisierunt Magi, inquiramus et nos, quia scriptum est: *Quaerite Dominum dum inveniri potest.* Prociderunt Magi, procidamus et nos, quia scriptum est: *Venite adoremus, et procidamus ante Deum.* Adoraverunt Magi, adoremus et nos, quia scriptum est: *Adorate Dominum in aula sancta eius.* Obtulerunt Magi, offeramus et nos, quia scriptum est: *Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Offeramus et nos illa tria, quae obtulerunt Magi, aliter tamen quam illi. Offeramus myrrham mortificationis, ut mortificantes corpora nostra, quae sunt super terram, carnis curam non faciamus in desideriis, crucifigentes corpora nostra cum vitis, et concupiscentiis, et in his tamen omnibus rationale sit ut dictum est, obsequium nostrum. Offeramus thus devotae orationis, secundum quod Apostolus ait: *Orabo Spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente; ut, dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu Domini.* Offeramus et aurum, splendorem sapientiae: aurum namque sapientiam designat, iuxta illud: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis;* ut si minus parati omni poscenti de ea, quae in nobis est, fide, et spe reddere rationem, et splendore sapientiae fulgeamus, et contra haereticorum tenebras intrepidum dicemus, atque dicere possumus: *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri et argenti.* Et utinam non possetis dicere potius: *Bonum mihi lex oris Iustiniani super millia auri et argenti.* *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ita ut lex tua, Domine. Dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum: ut merito ipsa sapientia conqueratur, dicens: Dereliquerunt me fontem aquae vivae.* Nam hi, qui in legem Domini de-

bent meditari die ac nocte, a veritate ad fabulas convertunt auditum. Custodes ergo super muros ecclesiae constituti, vigilantes sint, ne vulpes Samsonis incendant segetes nostras; et ponatur turris David cum propugnaculis contra Damascum, ex qua dependeant clypei mille; turris namque fortissima nomen Domini; ad eam confugiet iustus, et exaltabitur. Haec est Scriptura, ubi nomen Domini invocatur, in qua propugnacula sunt Praelati, atque Doctores, qui eius terminos debent custodire, de quibus scribitur: *Non transgredieris terminos, quos tibi Patres tui constituerunt.* Statuit namque Moyses terminos contra montem Sinai, quos transgredi non licebat. Et utinam istos terminos nulli transgrediantur; alioquin lapidibus erunt digni. Ex hac pendent clypei mille, perfectio videlicet auctoritatum, quae est ad munimentum ipsius. Haec turris ponitur contra Damascum, scilicet contra robur haereticorum. Aliud fundamentum alius nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus, id est mysterium Christi.

Immobile profecto, et immutabile est Christi mysterium, quia multiplex habuit testimonium. Habuit enim testimonium hominum, testimonium Angelorum, testimonium mulierum, testimonium virorum, testimonium senum, testimonium parvulorum, testimonium terrenorum, testimonium coelorum, testimonium Gentium, testimonium Iudaeorum, testimonium antiquorum, testimonium modernorum, testimonium lucis, testimonium tenebrarum, testimonium legis, testimonium Prophetarum, testimonium Regum, testimonium turbarum, testimonium vivorum, testimonium mortuorum, testimonium brutorum, testimonium solis, testimonium elementorum. Habuit testimonium hominum, quia pastores erant in regione illa,

qui venientes invenerunt de verbo, sicut dictum erat ad eos de Puero. Testimonium Angelorum, quia Angelus Domini stetit iuxta illos, et dixit eis: *Ecce evangelio vobis gaudium magnum, quia natus est hodie Salvator mundi, qui est Christus Dominus in civitate David.* Et facta est cum Angelo multitudo coelestis exercitus, laudantium Deum, et dicentium: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Habuit testimonium mulierum, quia Anna Prophetissa filia Phaniel confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Habuit testimonium virorum, quia uno die conversi sunt tria millia, et alio quinque millia, qui testimonium perhibebant de Iesu. Habuit testimonium senum, quia antiquus ille dierum Simeon, cuius capilli erant sicut lana alba, qui acceperat responsum a Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini, accipiens eum in ulnas suas, dixit: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Habuit testimonium parvulorum, quia Innocentes illi, cum quamvis non loquendo, moriendo tamen confessi sunt. Habuit testimonium terrenorum, quia pax facta est in terra hominibus bonae voluntatis: tanta, ut ab uno homine Caesare Augusto totus orbis describeretur; de cuius tranquillitate Isaias inquit: *Conflabant gladius suos in vomeres, et lanceas suas in falces.* Habuit testimonium coelorum, quia coeli miserunt novam stellam, secundum quod habuimus in Evangelio: *Et ecce stella, quam viderant Magi in oriente, antecedebat eos usque dum veniens staret supra, ubi erat Puer.* Habuit testimonium Gentilium, quia Magi venientes Ierosolimam dixerunt: *Ubi est, qui natus est Rex Iu-*

deorum? Habuit testimonium Iudaeorum, quia Herodes principes Sacerdotum, et Scribas populi conveniens, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur; at illi dixerunt: *In Bethlehem Iudae.* Habuit testimonium antiquorum, quia in manibus Prophetarum assimilatus est: ipse enim est Agnus occisus ab origine mundi. Habuit testimonium modernorum, unde et ipse Discipulis inquit: *Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Habuit testimonium lucis, quia claritas Dei circumfulsit Pastores, et claritas stellae illustravit Magos. Testimonium tenebrarum, quia in morte eius tenebrae factae sunt super universam terram. Habuit testimonium legis, quia Moyses dixit in lege: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris; ipsum tanquam me audietis.* Et alibi: *Et erit vita tua pendens in ligno; videbis, et non cognosces.* Testimonium Prophetarum, quia Isaias ait: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini.* Et alibi: *Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Baruc autem: *Post haec, inquit, in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Ezechiel in eius testimonio filius appellatus est. Daniel ait: *Cum venerit Sanctus Sanctorum cessabit unctio vestra.* Oseas in eius testimonio accepit uxorem fornicariam. Habacuc dicit: *Cornea sunt in manibus eius.* Ionas in ventre celi eius testimonio testatus est. Et quid discurram per singula? Nullus Prophetarum extitit, qui ei testimonium non perhiberet. Testimonium Regum, unde David Rex: *Terra nostra dabit fructum suum.* Et alibi: *Aperiat terra, et genuinet Salvatorem.* Et Salomon: *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt ubera tua vino, fragrantia unguentis o-*

mis, et: Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Testimonium turbarum, unde dixerunt in Evangelio: *Vidimus mirabilia hodie.* Et: *Nisi esset hic a Deo, non posset facere quod facit:* propter quod voluerunt etiam eum rapere, et Regem facere. Testimonium vivorum, quia illi duo, qui ibant in Emmaus, venerunt, et narraverunt omnia, quae eis acciderant. Testimonium mortuorum, quia multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, et apparuerunt multis. Testimonium brutorum, quia cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui. Testimonium solis, quando ipse obscuratus est. Testimonium elementorum, quia testimonium perhibuit terra, quando terraemotus magnus factus est. Testimonium perhibuit aqua, quando siccis pedibus ambulavit super aquas. Testimonium perhibuit aer, quando nubes suscepit eum ab oculis eorum, scilicet Discipulorum. Testimonium perhibuit ignis, quando Angelus Domini descendit de coelo, et resplenduit facies eius sicut fulgur: Fulgur enim igneae naturae est.

⁶³⁶ Quia ergo, fratres, mysterium Crucis habuit testimonium omnium praedictorum, crubescat Iudaeus infelix, qui negat Christum de Virgine natum; quia pastores Iudaei invenerunt sicut dictum erat illis. Confundatur Gentilis qui dicit ligno: *Deus meus es; et lapidi: tu me genuisti;* quia Magi Gentiles ipsum adoraverunt. Obmutescat haereticus, qui mysterio contradicit. Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Ad quam gloriam nos perducatur ipse Dominus noster Iesus, qui cum sit splendor luminis, flos florum, vita morum, schola virtutum, et corona Sanctorum, super choros Angelorum regnat in saecula saeculorum. Amen.

Varia de Epiphania, ex Benedicto XIV.
(DE FESTIS DOCT., LIB. I, CAP. 2, N. 3).

VIII.

⁶³⁷ QUAERERE vero Magorum nomina, qui, qualesve illi fuerint, modo quaerendum est. Tillemontius loco cit., putat duodecimo saeculo indagari coepit Magorum nomen, prudentemque consilio Baronium ait in suis Annalibus quaestionem hanc praeritisse. Casaubonus, exercit. 2 in Baron. Annales, § 10, ita scribit: *Puduit iure merito harum ineptiarum Cardinalium Baronium apud quem in tam prolixo de Magis sermone de illorum nominibus ne verbum quidem.* Bollandistae, tom. 1, mense Maii, pag. 7, aiunt: *Nullus Scriptor vel Graecus vel Latinus profertur per tot saecula usque ad Frederici Barbarossae tempora, qui nomina nunc vulgata usurpaverit.* Serry, P. Honoratus a S. Maria, P. Graveson, Card. Gottus, Sandinus in locis citatis, et Calmet in laudata superiorum Dissertat. § *Nomina*, Bailletus in *Histor. adoration. Magorum*, num. 2, et Lamy, *Harmon. Evangel.*, lib. 1, cap. 11, pag. 45, § *Numerus Magorum*, docent de Magorum nomine nihil nobis esse compertum. Quod quidem non eo dictum volumus, ut Coloniensis Ecclesiae pie Traditioni quidquam detrahatur, quae Ecclesia ut testatur Bollandus ad diem primam Ianuar., pag. 8, sextam pag. 323, et undecimam pag. 664, Magos sub nominibus Melchioris, Balthassaris, et Gasparis veneratur; eorumque corpora Galesinius, in Not. ad Martyrolog., pag. 13, et Saxus in *Histor. Corporum SS. Gervasii et Protasii* num. 38 referunt Constantinopolim allata, inde ab Eustorgio Episcopo Mediolanum aucta, post sexcentorum septuaginta annorum cultum, quem in Basilica ab eodem Episcopo edificata fideles illis tribuerunt, tandem sub Friderico Aenobarbo illinc amota, et ab Episcopo Reinoldo Coloniensem asportata.

DOMINICA INFRA OCT. EPIPHANIAE

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. 11, 42-52.

CUM factus esset Iesus annorum duodecim, ascendit illis Ierosolimam secundum consuetudinem diei festi,
43. consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius.
44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos, et notos.
45. Et non invenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.
46. Et factum est, post triduum invenerunt illum